

& putri. Tum enim fiunt sopor, pigrities, tumores, ulcera. *Putre factiones.* Quæ omnia cum à putri sint uel humore uel halitu, sequitur & ab æstuosa arditate nulli morbi, vel pestis nulla saltem gignatur. Quòd si ab æstu uitia sint iam extincto cometa, hoc saltem dabunt, ab ea causa gigni, pruritus, lippitudines, tertianas febres, in quib. malis, uel nulla est, uel ridenda cōtagio. Quare labes illa morborū horrida, & humano generi perniciofa frustra portēditur. Huc accedit, æstuante post Cometā aere, uel etiam dum fumi eliciuntur ad Cometam cōflandum, purgari corpora nostra & sicciora & magis integra fieri. Quis enim dubitat, non prius ex aquis ac terra vaporem aut fumum educi, quàm h̄dem ex animalī corpore euocentur? Animantes, homo cum primis, calorem habent innatum. Ad natiuū calorem accedit perforata cutis, perspicabile corpus, & facile penetrabile. Molliores autem naturæ vim aeris ac cœli prōptius experiuntur: Ergo prius ab homine, quàm à terra exhibunt fumi. Quid porrò est elici è nobis fumos, quàm purgari nostras naturas, & halitus & causas inde morbificas prohiberi ac tolli? Nam à uaporibus humores noxi sunt: illis diminutis etiam humores decrescunt, atq; inde sunt minores materiæ, vires morbificæ. Quid? quòd similia facile coeunt? Aeris autē calor & vapor quid facilius è corporib. educēt, crassos ne, uel tenues halitus? Crassa minus ac tardius afficiuntur, tenuia uerò & acriora ab acri tenui q; aere minori negocio cōmutantur. Ergo si quis æstus in aere sit cometa ardente, uel maneat iam extincto, corpus nostrum firmius reddet, cum exeuntibus fumis acribus tēperatius reddatur corpus? Et à modico temperamento vires omnes fiunt valentiores. Quemadmodum autem à Cometa terræ motus fiet? Nullum est crinitum sidus, nisi (ut ipsi volunt) ex fumis magna copia à terra exhalatis. Cum autem ex terra vapor educitur, id fit in terra quod in animantibus fieri dixi.

Quare tantum abest, ut sit periculum terræ tremoris, causa potius omnis huius mali penitus amouetur. Nam ti-

H men-